

in Amica collatione sect. 90. Tolluntur igitur bestia, non peccatorum participatione, sed possessorum suorum afflictatione, nempe ut possessores mali in illis puniantur, quorum felicitate latabantur; utque autorem Deum, quem per beneficia cognoscere noluerunt, saltem inter supplicia sentiant, & peccata detestari incipiant. Confer Jus Canon. in glossa. l. q. 4. can. 11. & Thom. 2. 2. q. 108. art. 4.

81. Porro sicut Jehova ob sceleratos parentes interdum punit liberos: ita ob homines nequissimos, & sub peccatum venundatos, ut nequiter delinquant, interdum plectit alios, sive ipsos in iisdem peccatis amulantes, sive aliis peccatorum fordibus se contaminantes: de qua suppliciorum μετοχή confule Judic. 8. vers. 27. Numer. 16. vers. 32. & 25. v. 1. & c. Gen. 12. v. 17. 2. Sam. 21. v. 1. & c. & 24. v. 1. & seqq. Jerem. 15. v. 3. 4. & 18. v. 21. & Amos 7. v. 17. ut vere scribat Hesiodus: πολλὰ κὶ κρη̄ ξύμπισσι πολις κακῶ ἀνδρῶς ἐπαυρῆ. Hinc & Basilius Tom. 1. lerm. 3. in divites avaros, pag. 387. edit. Basil. ann. 1540. ait: Num aurum non conspues, & argentum, ut stercus ejicies? quod antea omnipotens ac jucundissimum vocans, humanis usibus subvenire, omnino putaveras? Sed scias, illud contrate instare, teque accusare, ac horum malorum causam dicere, eo quod se possidens, non recte dispensaveris aut erogaveris, quod esurientes praterieris, quod afflictos non respexeris, quod regantes non sis miseratus. — Per paucos enim mala æumnæque ad universum populum sæpe perveniunt, & unius ob noxam tota quandoque gens evertitur. Achan sacrilegium admisit, ac totus afflictus est exercitus. Zambri cum scorto Madianitide concubuit, ac Israël pœnas dedit. Et Tom. 2. in Regulis contractionib. q. 47. pag. 340. Heli, quamquam ad peccata filiorum suorum, qui mala pestes erant, non tacuit, sed sæpe admonuit, dicens: Non ita filii, audio de vobis, quæ bona non sunt: & pluribus verbis peccati illorum absurditatem, & inevitabile Dei iudicium declaravit, quoniam non plane vindictam de illis sumpsit, nec competentem zelum adversus eos ostendit, usque adeo iram Dei provocavit, ut & populus cum filiis ipsius consumptus, & arca ipsa à Philistæis intercepta sit, & ipse præterea miserabili morte vitam finierit & c.

82. Si quæras, cur & quomodo unus propter alterum torqueri, & plecti queat? Resp. Ideo & hoc modo (ut alios modos jam taceam) Quia 1. peccatum unius derivatur in alterum vel per carnalem generationem, vel per imitationem; vel per consensionem, vel per conniventiam & c. Per carnalem generationem; quia semper peccatum originis, & sæpe aliorum etiam peccatorum semina traducuntur in liberos. Neque